

ψιν ita incipit. Ἀποκάλυψις Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἣν ἔδωκεν αὐτῷ ὁ Θεός, δεῖξαι τοῖς δούλοις αὐτοῦ, κ. τ. ε. Non enim, quod falso sibi persuadent, τὸ αὐτῷ ad Ioannem pertinet, sed ad ipsum Ἰησοῦν Χριστόν, cui illae a Deo factae sunt reuelationes, non quidem secundum diuinam, sed humanam naturam. Hanc bifariam possumus considerare, uel in se, uel ratione ὑποστάσεως τοῦ λόγου, in quam euecta est, quorum illum considerandi modum Theologorum scholae, esse naturale, hunc, esse suppositale appellitant. Priori modo Christo data est ἀποκάλυψις, quatenus nunc, quod uix negari poterit, in naturam humanam, ita consideratam, cadit Theologia κατ' ὄψιν. Posteriori modo illam a Patre accepisse censendus est, quando unctus est oleo laetitiae prae confortibus, factaque ἀνχημάτων communicatione, omnes possidet thesauros τῆς σοφίας, καὶ τῆς γνώσεως. Quod si uero uel maxime ad Ioannem referre uelis, quod et fecisse uidetur Dionysius Alexandrinus, qui, omisso nomine Θεοῦ, locum ita excitat, Ἀποκάλυψις Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἣν ἔδωκεν αὐτῷ δεῖξαι τοῖς δούλοις αὐτοῦ, ne sic quidem opus esse puto, ut tituli hic ullus habeatur respectus. Notum namque est, ostenditque, non uno exemplo, Glassius, in Philolog. S. L. III. Tr. II. Can. XI. relationum aliquando respectare ad consequens, seu ad id, quod in textu sequitur. Nescio interim, cur uocem Θεοῦ omiserit Dionysius, quam Syrus interpres, nec non codices tam unanimi consensu habent, et agnoscunt, ut nec Millius, cuius ceteroquin, in colligendis uariantibus lectionibus, industria nonnunquam nimia est, hic nullam in codicibus, quos consuluit, uariationem deprehenderit.

XVII. Contra, grauiiores omnino adsunt rationes, quam obrem alii potius, quam quidem Ioanni, hanc inscriptionem tribuamus. Etenim non uideo, quomodo cum eius conciliari ἀνθεντία possint tot uariae, quas passim perpessa est, mutationes. Quod si ea Ioannem haberet auctorem, nullus dubito, quin manus aequae ab inscriptione, ac ipso libro mutando, abstinuissent ueteres. De uariationibus autem non est, quod pluribus exponam, quae ubiuis fere obuiaae sunt.

Millius